

pum Sportulæ, quam manibus & typis propriis Sagani collectam ante 2. menses huc miseram: typographus verò mihi die 13. Julii dixerat. Hac ipsa hora absolvi ultimæ formæ correctionem. Epistolæ ad Bartschium exemplaria, cum Tabb. meis Synopticis Systematis Mathematici, accepit Tampachius, scribit, se tuo usum consilio, ad quem jam scribat, velle illas imprimere. Hoc ipso die legi epistolam filia, quæ se accepisse octo Rhenanos aureos abs te, nomine honorarii ab Illmo Principe Lunæburgensi per D.D. Clutenium mihi pro oblato exemplari obtenti. Obsecro num hæc bona fide geruntur? An tu de tuo addidisti, quod pro tua in me summa benevolentia, deesse putasti. Quis enim non pudore confundatur? pro exemplari tantum munus tanta difficultate temporum acci-

acci-